



GALENO ASCRIPTAE FINITIONES MEDICAE.

Bartholomæo Syluano Salonensi interprete.



B FINITIONVM tractationem cum medicis omnibus, tum uel maxime introductiſſis iuuenibus longe utiliſſimam decreui, ut medicorum optime Teuthra cenſuiſti, colligere ac ſcriptis mandare. Cum enim medica ad uſum uitę ars conferat, ſitq; ad hominum ſalutem inuenta, ac pulchra nec pauca præcepta contineat, neq; eam aſſequi facile eſſe uideatur, utiliſſimæ erunt finitiones: ut quę multa docere paucioribus poſſunt. Optimum enim in artibus ſcientiſq; omnibus genus docendi, id eſt, quod non uerboſa oratione, atq; in infinitum excurrente, ſed paucis contenta perbelle dignoſcitur. Veteres quidem, quiq; ante Hippocratem fuere, in quorũ nos uolumina incidimus, nec aliqua finiuerũt, quæ ad artem pertineant, nec libros complures, ſed paucos admodum reliquere. His igitur iure laus debetur, quod animum applicuerint primi, ac uitæ emolumentum aliquod inuenire ſtuderint. Poſt hos uero exortus Hippocrates medicinam literis prodidit, finiuitq; eam in libello de arte: ille nimirum, qui ſemper bonorum auctor ac princeps fuit: cuius apud Gręcos omnes memoria in æuum durabit, quandoquidem publice eſt de omnibus benemeritus. Cæterum, qui ab iſſ temporibus extitere, finitiones perſcripſerunt, tamenſi ne iſſ quidem omnes. Sedulam autem in ea commentatione operam nauaſſe uidentur ſectatores Herophili, & Apollonius Memphites, & præterea Athenæus Attalenſis. Verum hi quoque nec decenti uſi ſunt ordine, nec tractatum compoſuerunt, ſed in libris conſcripſere paſſim. nec ea præterea plene deſcripta ſunt, non enim omnia, quæ ad medicinam ſpectant, finiuerunt. Porro, quod uera commemoremus, licet dictorum uirorum libros euoluentibus diſcere. Nos uero longum ſermonem ingreſſi, finitionesq; à maioribus proditas ad uerbum deſcribentes, iuſtum iſſis imponemus ordinem: & ſi quæ ab antiquioribus dictæ non ſunt, conſicientes iſſi, conſtruentesq; ut tu quoque operæ præcium eſſe cenſuiſti, abſoluta collectanea concinnabimus. His ego bone Teuthra mihi perſuadeo nec fuiſſe iuuenibus inſtituendis, nec fore utiliora, atque hæc hæcenus. Primum autem, neceſſe eſt, dicamus, quid ſit utiliſſimũ, ac quid doctrinæ ordini maxime conueniat: & quid ipſa finitio ſit aperiamus: tum finitiones dehinc ſubnotandæ.

D Finitio igitur, ſeu Græce *ἔρσις*, ex nonnullorum ſententia eſt oratio, quę, quale ſit illud, de quo ſermo eſt, declarat. finiiri autem & hoc modo poteſt. Finitio eſt oratio mentis conceptionis. quidam ſic quoque finiuerunt, Finitio eſt oratio, quæ perfectionem per reſolutionem adipiſcitur. Finitio eſt, quæ nos breui ſubmonitione in rerum uocibus ſubiectarum notionem ducit. uel, Finitio eſt oratio, quæ ipſum eſſe declarat. uel oratio, quæ nobis intelligentiam rei indicat ac palam facit. Diffinitio uero, quam ſcilicet Græci *διόρισμός* uocant, eſt rei, quæ uelut uniuerſaliter dicitur, ſed uniuerſalis non eſt, per appoſitionem ad uniuerſale deductio. Deſcriptio eſt oratio, quę rudius ac quadam ueluti formula ad declarandæ rei notitiam introducit. alij ſic, Deſcriptio eſt oratio, quæ res per rudem imaginem repræſentat. Scientia eſt comprehenſio certa & firma, neque à ratione decidua. licet, & hoc modo finias. Scientia eſt habitus, qui opinionem præbet ex uiſionibus haud ab ratione deerrantem. Ars eſt comprehenſionum globus commeditatarum ad finem aliquem rerum, quæ ſunt in uita, perutilem. uel ſic, Ars eſt commeditatarum globus comprehenſionum ad unum finem relationem habentium. Hippocrates in libello de arte medicinam ita finiuit, quam primus quoq; medicinam nominat. eſſe enim inquit à morbis proſus uindicare laborantes, & morborum obtundere uehementias, & morbo proſtigatis manum non admouere, intelligentes compotem, non, eſſe horum omnium medicinam. plures hoc pacto finiuerunt, Medicina eſt ars, quæ præeſt ſanis uictus ratione regendis, atque agrotis curandis. Secta, eſt decretorum multitudinis aſſenſio artiſcioſe conſtructorum, atque ad unum finem relationem habentium. aut ſic: Secta eſt decretorum multitudo, quæ tum ſe mutuo conſequuntur, tum conſequi apparent, aut putantur. poſſit & ita quiſpiam dicere: Secta, eſt dogmatum multitudinis conſenſus, quæ ſe inuicem, & apparentia conſequuntur, aut conſequi exiſtimantur. inuenitur & finitio huiuſmodi quædam: Secta, eſt aſſenſio dogmatum multitudinis, quæ tum ad ſeiſpa, tum ad apparentia conſequentiam habent. uel ita: Secta, eſt aſſenſio ex dogmatũ multitudine, ſequellam inter ſe ad unum finem habentium. Decretum ſeu dogma, partim proprie, partim communiter

llagogici.

h niter

niter dicitur: communiter, rei consensus in actu: proprie autem magis rationalis secta dogma- E
 tica uocata est. Medicinæ sectæ duæ sunt primæ, Empirica, & Rationalis, & tertia Methodica.
 Quartam autem sectam inuenisse uidetur Agathinus Lacedæmonius, quam Græce *ἰσχυρὴ*
 πικρὴ, quasi supercompositiuam dixeris, nominauit: nonnulli uero † hecicen, id est habitricem,
 appellarunt. Est Empirica secta earum rerum, quæ sæpissime numero, ac secundum idem, atq; eo
 dem pacto quodam modo uisæ sunt. Rationalis autem secta rerum abditarum scientia atq; ope-
 ribus constat, quæ hanc in medendo consequuntur, Methodica est ratio, quæ ab apparente pro-
 greditur, & incompti comprehensionem facit: ut, si sunt sudores, sunt exigui cutis meatus. ap-
 parens enim res sunt sudores: esse autem meatus incomptum est. Syllogismus, est ratio, in qua
 positis quibusdam aliud quidpiam ab ijs, quæ posita sunt, quod ante ignorabatur, per necessita-
 tem colligitur. Epilogismus, est ratio, quæ id, quod ab intelligentia diuertit, infirmam certamq;
 notitiam adducit. Speculamen, seu potius Græce Theorema, res est uniuersalis, quæ medicinæ si-
 ni consequens ponitur: uel proloquium uniuersale medicinæ completiuum. uel Theorema, est
 id, cuius contrarium raro euenit. Opinabile anceps, quod Græci *ἀμείβετον* uocant, est id, cuius
 perinde euenire contrarium potest. Finis, est cuius gratia res medica administratur. aut hoc mo-
 do: Finis, est id, ad quod quæcunq; medicæ artis sunt, referuntur. sic quoq; finis licet: Finis in me- F
 dicina, id est, quod si assequuti fuerimus, nihilo præterea egemus. Consummatus medicus est is,
 qui in speculatione & actione numeros omnes expleuit. Optimus est, qui omnia in medicina re-
 cta agit ratione. Homo, est animal rationale mortale, mentis capax & scientiæ. Animal, est sub-
 stantia animata sensu prædita, quæ impetu mouetur ac uoluntate. Anima, est substantia incorpo-
 rea, quæ per se, ex Platonis sententiâ, mouetur. Stoicis uero, corpus tenuium partium, quod ex se-
 ipso pro seminis mouetur rationibus. ut autem opinio fert Aristotelis, entelechia seu perfectio
 instrumētarij corporis physici uitam facultate obtinentis. Corpus est magnitudo triplici dimen-
 sione constans: quippe cum longitudinem in seipso, & profunditatem & latitudinem habeat:
 uel magnitudo ex spatijs tribus consistens. Elementum, est, ex quo primo & simplicissimo pro-
 genita omnia sunt, & in quod simplicissimum resoluētur. Athenæus uero Attalensis in tertio uo-
 lumine ita inquit, Elementa medicinæ, uti nonnulli arbitrati ueterum sunt, calidum, & frigidum,
 & humidum, & siccum: ex quibus homo primis apparētibus & simplicissimis minimisq; est con-
 stitutus, & in quæ ultima apparentia & simplicissima ac minima resolutionem capit. Elementa-
 tio, est eorundem doctrina secundum idem eodemq; modo. alij sic: Elementatio, est † forma ab
 elementis ad finem. Constant corpora nostra ex solidis, & humidis, & spiritibus. Solida sunt ossa, G
 chartilagines, nerui, musculi, uenæ, arteriæ, & quæ in contactu sunt uiscera. Humida humores, &
 excrementa. Spiritus uero, natiuus calor est in corde desitus. Anatome, hoc est dissectio conse-
 ctioque, abditarum partium speculatio est. Confectionis species duæ sunt, altera, quam de indu-
 stria aggredimur: altera, quæ casu euenit. per industriam constat ea, quam tradunt dogmatici par-
 tium occultarum gratia uel in uiuentibus, uel in mortuis: & uel in totis, uel in partibus. casu eue-
 nit, ex ijs, quæ contingunt, ut ex uulnere magno accepto. soli autem hac utuntur empirici. Chi-
 rurgia, est intrepidaram manuum celer motus cum experientia: uel actio in medicina per manus
 artificiosa, conuenientis finis compos. Pericrania, membrana est neruosa totam caluariam com-
 plexa. Meninges, sunt, quæ cerebrum ambiūt corpora neruosa arteriosaq;. Cerebrum est album,
 molle, uelut è spuma quadam concretum, humidum & calidum. Cerebellum, secundum locum à
 cerebro obtinet, similis cum eo naturæ, ac coloris. Dorsi medulla cognata cerebro est, cæterum
 pinguior, candidiorq;. Oculi, sunt, qui ex quatuor constant tunicis, neruosi, sensum obtinentes
 subiectorum colorum, magnitudinum, ac figurarum. Aures, neruosæ, & chartilaginosa, quæ uo-
 ces earumq; differentias sensu dijudicant. Nares, neruosæ, chartilaginosaq; sunt, odorum per-
 ceptrices. Lingua, uenosa est, & carnosa, suppinguis, saporum gustatrix, adiutrix deglutiendo ali- H
 mento. Larynx, chartilaginosus est, per quem spiritum attrahimus, uoci concinnandæ alioqui
 deseruiens. Pulmo, est arteriosus, ex leuigatis, asperisq; constans arterijs, fungosior, respirandi
 instrumentum. Thorax, est ex uenis, & arterijs, & neruis ad respirationem incitandam à natu-
 ra constitutus. Cor, neruosum, musculosum, uenosumq; est, habetq; arterias, conij figura, suppin-
 gue, ex quo arteriæ exoriuntur, ac uenæ, per quas sanguis, ac spiritus immittuntur. Septum trans-
 uersum, est neruosum, uiscera, quæ in thorace ab ijs, quæ sub thorace sunt, dispescens ac separans.
 Iecur substantia uenosum est, & calidum, ac sanguine affluens, primamq; generationem sangui-
 nis plurimam molitur. uentriculo quoq; ad concoctionem obeundam prestò est, sua ipsum pro-
 pinquitate concalesciens. Lien, uenosus est, arteriosusque: qui cum tenuia uasa, atque inter
 ea cavitates multas obtineat, ob id rarus latusq; est. Stomachus, neruosus est, & arteriosus, instru-
 mentum appetitus, ac deuorationis. uel etiam meatus humidi sicciq; alimenti. Ventriculus, ner-
 uosus, alimenti humidi & sicci receptaculum est, ad id concoquendum præparatus. Intestina, ner-
 uosa sunt, alia ad excipiendum, alia ad excernendum recrementū progenita. Renes, carnosus sunt,
 carne constant friabiliore, isthmi humidi excrementi, ac ueluti lacunæ à natura conditi. Vesica,
 est neruosa, humidi recrementi conceptaculum, eiusdemq; excernendi instrumentum. Testes,
 carnosus,

† Aliis *ἠλεκτρικὴ*
πικρὴ, id est,
 electricem.

† Forte pro
ἰσχυρὴ, id est,
 forma legen-
 dum *ἰσχυρὴ*, id
 est uia.

A carnosī, perfragilesq; sunt, humidī & calidī, meatibus contenti seminis, qui parastata à Græcis dicuntur, concoctioni opitulantes. Parastata, sunt (quasi Latine astites nominentur) qui ex uena & arteria constant in unam naturam confertis, semen confouentes. Matrix, id est uulua, foris neruosa est, intus carnosior, uas foetus gestandi, hæc à Græcis *ὑστὴρ*, quoq; appellatur, quod *ὑστῆρ*, id est postrema sit partium omnium. Excretio, est delatio excrementorum corporibus adhaerentium. Stercus, est expurgamentum alimenti in concoctionis digestionisq; consummatione discretum. Urina, est superfluitas excolata sanguinis in magna uena, quæ per renes, & ureteras in uesicam delabitur. aliter, Urina, est excrementum, quod in iecore gignitur, discernitur in renibus, per ureteras in urinariam uesicam deriuatur, excerniturq; inde per eius collum, *οὐρηθῆρας* nomine, Græcis appellatum ex eo, quod per eam urina deferatur. Efficiens causa est urinae, sanguinis generatio in iecore † supprimitur, uel per sanguinis in grumulos cōcretionem, uel quod genitalium meatus concidat ac cohærescat, uel ob renum consensorium affectum, uel propter ulcerationem. Urinae suppressionis appellatio prima, est ischuria, cum urina retinetur: secunda, dysuria, in qua urina quidem fertur, sed cum difficultate: tertia, straguria, ex eo dicta, quod urina *σπυροειδῆς*, id est guttatim destillet. Humores quatuor sunt, ex quibus animal consistit, sanguis, pituita, biles duæ, flaua, atraq;. hæc enim medicorum filij uocant elementa corporis, quando quidem sanguis, calidus, humidus, dulcisq; est: pituita, frigida, humida, falsa, glutinosaq;: flaua bilis, calida, & sicca, acrisq;, ac mordax: atra uero, sicca, frigida, acida, atq; grauissima. Sanguis calidus est, & humidus, in uenis copiosus, in arterijs paucior, ex quo alitur animal. Pituita, frigida est, & humida, ad ciborum deuorationem, & articularum motum à natura subiecta. Bilis flaua, calida est, & sicca, ad stomachi robur, ac uentris excretionem comparata: Bilis atra, frigida est, et sicca, uti diximus, & acida, & grauissima: sedem habet in liene: mista autem in sanguine est. itaq; ab eo discernitur, ne crassus, ignauus, ac digestu difficilis reddatur. Quatuor præterea melancholici humoris differentia sunt: primus est elementarius: dein qui ex superassata flaua gignitur bile, quem bituminosum quoq; nominamus, quod bituminis instar splendeat: & qui ex terrificata, seu putrefacta pituita oritur: & qui ex fœculento sanguine consistit. Bilis flauæ sex discrimina habentur: bilis elementaria, uitellina, glastea, porracea, æruginosa, & pallida. Pituitæ differentia, dulcis, falsa, & qualitate carens. Humores item tribus modis in uentriculo degunt: nam aut innatant, aut imbibuntur, aut inducuntur. Mucus, est expurgamentum cerebri, quo pars animæ princeps leuetur. Sudor, est tenuis ac ferosæ colatura humiditatis sanguini immixta. Vena, est uas sanguinis, & sanguini contemperati spiritus natiui, neruosa, humida & calida, sensum obtinens. habet tamen sanguinis plus, natiui spiritus minus. Arteria, est uas sanguinis paucioris, puriorisq;, & contemperati spiritus genuini copiosioris, ac tenuioris, calidior & siccior, ac sentientior, quam uena, pulsati li motu prædita. Aliter, Arteria, est corpus cauum, duplici constans tunica, † spiritum uitalem suppedians. excipit & purum aerem, dum attollitur, & cor ac naturæ calorem refrigerat, dum uero contrahitur fuliginosa ac fumosa excernit recrementa. Vfus igitur pulsus is est, ut per aerem refrigeret. aeris quoq; ipsa substãtia, quod spiritui nostro addatur, generatio, additioq; est spiritus animalis. Neruorum tres differentia sunt: qui enim ex cerebro, & dorsi oriuntur medulla, ij proprie nerui: qui ex musculis, tendones: qui uero ex ossibus, ligamenta appellantur. Nerui, qui à cerebro eiusq; membranis cōmunes expullulant, sicciores uenis, ac minus calidi, & arterijs sentientiores sunt, ac uoluntarios motus absoluunt: qui autem ex ossibus prodeunt, articulos, & corporis membra colligant, ac continent. Musculi, sunt neruosa corpora, permixta ijs etiã carne, ad partium corporis motum procreati. Periosteæ membranæ, sunt inuolucra tenuia, fibrosa, uelut indumenta ossium à natura condita. Pinguedo, est affusio alimenti, circa membranas maxime concrescens, sensu carens. Caro, concreta ex sanguine est, humida & calida, mollitudinēq; corpori adhibens. Medulla, in ossibus est, eorum cavitatibus contenta, pinguis, ac sensu uacans. Chartilagines, corpora sunt terrosiora, ac sensus experia. Ossa, sunt corpora sicca, & terrestria & frigida, nec sensum obtinentia. Dentes, sunt, qui cibum diuidunt, atq; conficiunt, nonnihil & ad uocis articulationem conferentes. Vraniscus, id est paruum cœlum, quod Latine palatum dicitur, pars est oris superior, à cœli similitudinē nomē accipiens. Gargareo, seu columella, caruncula est à faucibus dependens, uocis instrumentum. Præsepia, siue alueoli, sunt cavitates ossium, in quibus dentes firmantur. Vngues, sunt neruorum terminatio, decoris gratia progeniti, ac quo facilius quicquam sit apprehendere digitis. alij sic, Vngues, sunt cutis concretio sicca & frigida, ac sensus impos. Pilus, est corpus frigidum & siccum, sine sensu, ad tutelam, ornatumq; genitus: ornamenti quidem gratia, in capite & mento: in genis autem, & supercilijs, ad usum. oriuntur in capite plurimi, ob cutis siccitatem, ac fuliginosorum copiam excrementorum, quæ sursum ab infernis partibus ad ea loca mittuntur. Densantur porrò his de causis in ætate uigentibus, tum quod excrementorum copia præditi sint, tum quod cutis meatibus constent amplioribus: nec sit in ijs cutis arida nimis uel mollis. contra uero in pueris, quoniam nec fuliginosorum excrementorum subest multitudo, neq; facti sunt in ijs meatus: magisq; ob angustiam id genus meatuum. Ceterum caluescunt homines duabus de causis, ob siccitatem exuperantem, ac pilis conuenientis ali-

menti defectum. Cutis, est corpus neruofum, ambitum corporis honestamenti gratia totum ope **E**
 riens ac noxijs causis arcendis procreatum. Semen, est uis in humido conspersa, rationem huius
 continens: quæ uis, si congruas nanciscatur rationes atque materias, in hominis generationem
 explicatur. uel aliter hoc modo: Semen, est humor in uasis, quæ à testibus exoriuntur, contentus,
 calido spiritu constans, ex quo nasci hominem licet. uel, Semen, est spiritus calidus in humido,
 qui ex seipso mouetur, ac gignere tale potest, quale id, à quo emissum est: uel auulsum materialis
 animæ partis cum spiritu humido. Zeno autem Citieus ita finiuit: Semē est hominis abstractum,
 ac maiorum mistura, quod homo cum animæ parte humida transmittit, utique tale existens, qua-
 le id, à quo excretum est. Natura, est ignis artificialis, qui uia in generationem tendit. moueturq;
 ex seipso efficaciter. siue, ut Plato inquit, ars diuina, uel, Natura, est uis, quæ ex seipsa mouetur, au-
 ctor formationis, generationis, perfectionisq;. Dicitur natura & unicuiusque rei temperamen-
 tum atq; habitus. motus quoq; per impetum excitus, & quæ animal moderatur, facultas natura
 nuncupatur à physicis uiris, Hippocrate, inquam, & Galeno, utique naturæ, ac medicinæ peritifi-
 simis. Natura item, est spiritus calidus. qui ex sese pro feminarijs rationibus mouetur, quiq; in pre-
 finitis certisq; temporibus, ac magnitudinibus homines generat, perficit, atque conseruat. Habi-
 tus est spiritus continens partes ac cohibēs. Appetitus, est cibi & potus. desiderium, inquisitioq;. **F**
 Deuoratio, est solidi, & humidī in uentriculū attractio, quæ à stomacho fit. uel hoc pacto: Deuo-
 ratio, est ingestio humidī, solidiq; alimenti, quæ ex ore per stomachū in uentriculū fit. Concoctio
 est mistio, & succatio, uelut elixatio alimenti, in uentriculo, atque intestinis, in digestionem per
 mutationem absoluta. aliter: Concoctio, est confectio alimenti per mutationem in uentriculo, &
 intestinis. uel sic: alteratio prompta ad sanguinis generationem, quæ à natura fit per caliditatem,
 elixationi similis. Concoctiones alimēti fieri putat Hippocrates à calido innato: Erasistratus con-
 tritione, & molitura, & amplexu uentriculi, & ascitij spiritus proprietate: Empedocles autem
 putrefactione: alij, quemadmodum & Asclepiades Bithynus, ex crudis fieri digestiones affirma-
 runt. idem quoque animam esse quinq; sensuum exercitationem dixit. Sanguificatio, est muta-
 tio alimenti in sanguinem. Digestio, est concocti, & confecti, & in sanguinem conuersi alimenti
 in corporis particulas omnes & partes attractio, quam natius calor molitur. quidam hoc mo-
 do: Digestio, est concocti alimenti in totū corpus attractio, quam naturalis obit calor, cum pro-
 pria mutatione confectioq;. Auctio, est profectus corporum in longitudinem latitudinem, &
 profunditatem. Nutricatio, est additio, quæ corporibus in circuitum, ac latitudinem fit. **Ætates**
 quatuor sunt, prima iuuenum: secunda uigentium: tertia mediorum: quarta senum. Iuuenes, tem-
 peratura calidi & humidī sunt, ac similes ueri. Vigentes, calidi & sicci, eandem cum æstate tempe-
 raturam adepti. Medi, frigidi et sicci autumno consimiles. Senes, frigidi & humidī, ac similes hye-
 mi. Redundat sanguis iuuenibus. flaua bilis uigentibus: medijs atra: pituita senibus. quoniam in-
 natus calor est iuuenibus multus: uigens uigentibus: medius medijs: senibus paucissimus. Iuuen-
 ta, est, in qua augetur animal, calore atque humore in ipso incrementum capiente: quo tempore
 & æqualia alimentis delibamenta sunt: aut eo, quod deficit, plus est, quod adgignitur. Vigor, est
 ætas, in qua auctum perfectumq;, animal est, absolutis in eo calore atque humore, parem q; ijs,
 quæ dimanant, cum ijs, quæ ingeruntur, modum obtinentibus. Senectus autem, est ætas, in qua
 diminuitur animal ac deficit, decrefcentibus in eo calido & humido, frigido autem & sicco auge-
 scentibus. Respiratio, est motus thoracis & pulmonis. eius partes sunt expiratio & inspiratio.
 uel hoc modo: Respiratio, est attractus aeris per os & nares in cerebrum, & in cor per fauces atq;
 pulmones. eius uero aeris nonnihil & in uentriculum aduenit: atque ex accepto portio quædam
 exigua in aerem ambientem retribuitur. Perspiratio, est attractio aeris præter uoluntatem, à natu-
 rali calore per cutem simul cum demeantibus facta. aliter, Perspiratio, est aeris ex corpore attra-
 ctus cum naturali appetitu per totum corpus, & rursus per uias ac meatus excretio. **Pulsus, est** **H**
 cordis, & arteriarum naturalis dilatatio, atque contractio. sunt autem partes pulsus dilatatio, &
 contractio. uel sic: Pulsus, est cordis, & arteriarum, & cerebri, eiusq; membranarum naturalis, ac
 præter uoluntatem motus, per dilatationem, contractionemq;. potes & ita finire: Pulsus, est ca-
 loris, qui in corde, & arterijs continetur, naturalis motus, nec à uoluntate proficiscens. alij sic: Pul-
 sus, est cordis, atq; arteriarum naturalis per dilatationem ac contractionem motus, ad innati ca-
 loris refrigerationem, & uitalis incrementum roboris, & animalis spiritus generationem. uel, Pul-
 sus, est uerax eorum nuncius, quæ in profundo delitescunt, & uates obscurorum, & incertorum
 index, motu concinno, ac musica percussione dispositionem prenuncians inuisibilem. Pulsus au-
 tem genus, est motio, quæ nec sedari potest, nec à uoluntate progreditur, in sempiterni motus di-
 stentione, ac contractione consistens, atq; in corde, & arterijs principium obtinens. Arteria uel
 circulariter mouetur, uel in rectum. constat in orbem non moueri. quod autem neq; in rectum a-
 gatur, hinc planè noueris. à loco in locum demigrant, quæcunq; in rectum mouentur: finemq;
 obtinent motionis. non ergo in rectum mouetur. quod si, cum duo sint motus, neutro cieatur, nō
 igitur mouetur, at enim mouetur. atq; misto dicimus motu agitari, circulari, & recto. Porro, an mi-
 sta huius motio sit, rationabilis demonstratio est centrum. centrum appello medium punctum, à
 quo

- A** quo sese dilatans arteria foras erumpit, & ad quem rursus se contrahens redit. haec igitur ratione moueri in rectum uidetur: ex eo autem, quod in orbem perpetuo agatur, speciem nobis inuehit circularis motionis. Motio sex modis conficitur, per generationem, corruptionem, augmentum, decrementum, alterationem, atque à loco in locum translationem. Pars princeps animæ, est ea, quæ toti præest animantis gubernationi, in cerebri penetralibus, ac basi constituta. quidam hoc modo. Pars animæ princeps, ea habetur, quæ partibus animæ præest, ac ueluti regina dominatur atque imperat, & in cerebri basi sedem obtinet. Pars autem famulatrix, principi subdita est atque ancillatur, in reliquo corpore collocata. Sensus, est affectus animæ per corpus, nuncius rei, quæ mouere idonea est. est enim sensus agens facultas. Sensorium, est instrumentum, quod sensum aliquem creditum habet. Sensibile, quod sub sensum cadit. Sensu uero præditum, est ipsum id, quod sentit: uerbi gratia sensus, est uisus, gustus, olfactus, ac sensus reliqui. sensorium, uel oculus, uel nasus, uel lingua, quæ & sentiendi instrumenta nuncupantur. sensibile, lignum, uel lapis, uel paries, uel columna, & quæcunque sensibus succumbunt. sensus autem compos, Theon, & Dion, & quæcunque sentiunt animalia. Sensus quinque sunt, uisus, auditus, gustus, odoratus, tactus. Ministrant porro hi famulanturque animæ, ut Asclepiades Bithynus affirmat, qui proinde animam esse quinque sensum exercitationem dixit. Visus, est, qui fit per oculos, contemperato in ipsis tenui spiritu, pupillæ locum potissimum obtinente, per quem uisoria apprehensiones fiunt. uel, Visus, est facultas aeris substantiæ, splendoris speciem referens. Contuitus autem, actiuus est. Auditus obitur per spiritum auribus temperanter insertum, sicciorem magis, quam tenuiorem, quo auditoriæ apprehensiones efficiuntur. Olfactus absoluitur spiritu in naribus contento uliginoso halituo sioreque, per quem olfactilium fiunt apprehensiones. Gustus, est, qui fit spiritu linguæ insito magis humidior. Tactus, est, qui per spiritum corpus permeantem perficitur, quo apprehensiones fiunt corporeæ. Transitiuus motus, est animalium, qui per appetitionem fit, parte nimirum animæ principe auctore, spiritu uero, qui cum neruis extenditur, transferendis membris subministrante. Vox, est, quæ fit per principis animæ motum, sese ac spiritum simul per fauces usque in pulmones & linguam extendentis, nempe his uicinum aerem diuerberantibus. Memoria, detentio, conseruatioque in anima est earum rerum, quas antea obseruauimus. nonnulli hoc modo: Memoria, est præteriti comprehensio, cuius præsens fuit ex sensu perceptum. Recordatio, est, cum præter cætera spatio multo temporis interueniente rursus cogitatio oritur adeo, ut, quæ prius animum mouere, ad memoriam reuocentur. Somnus, est remissio animæ secundum naturam à finibus ad principatum. uel,
- C** Somnus, est animæ delatio secundum naturam à finibus ad principium. alij sic: Somnus, est quies, uacatioque ab animariis actionibus. conciliat hunc utilis materia, quæ ex stomacho in cerebrum colligitur, quæque magis humidior ac medio criter calidior est. Vigilia, est intentio animæ à principio ad corporis partes omnes, atque particulas. Sanitas, est primorum, quæ secundum naturam, aut humorum, qui in nobis sunt, proba temperies, aut naturalium uirium actio minime impedita. uel, Sanitas, est commoda quatuor elementorum temperatura. constat namque animal ex calido, frigido, humido, sicco. quidam hoc pacto: harmonia, seu concinnitas constituentium hominem calidorum, frigidorum, humidorum, ac siccorum. Accidunt porro sanitati pulchritudo, bonus habitus, integritas. Pulchritudo quidem, non qualis comptricis artis per faciei illinimenta, capillorumque infecturam, ac similia uendicatur: Bonus habitus, non qui à gymnastica, sed qui per sanitatis consequentiam constituitur: Integritas uero, est cunctarum partium numeris omnibus absolutarum roboratio commensuratioque. Quibus itaque adest pulchritudo, his bonus color, proportio membrorum, ac concinnitas suppetunt. est enim pulchritudo, proportio membrorum cum coloris probitate. Sanitas à bono habitu eo differt, quod sanitas bonus habitus est commoderatus, habitus autem bonus sanitas intensa. bonus uero exercitatorum habitus ne sanitas quidem esse potest. Corporis uirtutes, sunt sanitas, robur, pulchritudo, integritas. Animi uero, prudentia, modestia, fortitudo, iustitia. Sanitas porro modestiæ proportionem respondet. est enim sanitas, bona primorum temperatura, constitutioque. modestia autem, est purum ab omni affectu animum reddere, nempe uoluptate, metu, tristitia, libidine. quam ob causam animi motus imperturbatos tranquillosque exhibet: estque hæc animæ constitutio, ac sanitas. Rursus proportionem robur corporis, animi fortitudini consentit: est enim robur, firmitas, ac uis inexpugnabilis corporis ab his rebus, quæ corrumpere corpus censentur. Fortitudo, animi robur, & strenuitas ad ea perferenda, quæ mortis, laboris, ærumnæ, ac denique omnium, quæ grauias, & terribilia esse uidentur, speciem impensius præ se ferunt. Similis autem iustitia rursus pulchritudini uidetur. pulchritudo namque in membrorum symmetria cum coloris bonitate intelligitur: iustitia autem, in eius commensuratione, quod in re quaque exuperat. cuique enim pro dignitate tribuit, ut dijs, parentibus, cognatis, amicis, familiaribus, ciuibus. Prudentiæ uero integritas confertur. hæc enim corporis membrorum: prudentia autem, rectorum animi comprehensionum consummatio est. Secundum naturam sanitas est. Præter naturam morbus. Quod autem est natura, id nec secundum naturam, nec præter naturam iam est: ut gracilis admodum ac siccus: uel crassus iam, & præpinguis: uel qui naso est adunco, aut limo: uel cæcis oculis: uel qui uarus, aut uatias est. nam qui ita se habent non sunt secundum

naturam affecti, nam symmetriam euasere. uerum nec præter naturam rursus, non enim impeditur functionibus administrandis. Esse autem non natura eiusmodi est, ut neque secundum naturam, neque præter naturam, neque natura existat. tales sunt uiriliginosi, aut acrochordonibus, myrmecisue, ac similib. præditi. hæc enim neque secundum naturam sunt mala, siquidem à naturali statu excessere: neque uero præter naturam, cum naturales minime impediunt actiones. uerum neque natura sunt, non enim ea fuere à principio genita, neque à primâ generatione consistere. non natura ergo ut sint, relinquuntur. Enim uero, quod constat natura, ei, quod secundum naturam: & quod non natura, ei, quod præter naturam habet, ratione proximum est. Partes itaque ad uiuendum progenitæ propriæ sunt cerebrum, cor, pulmo, iecur, uentriculus. offensis enim his animal protinus, aut postmodum interit. ad comode aut uiuendum, ac citra molestiam, dolorque, oculi, manus, pedes, & partes corporis reliquæ, hæc namque si afficiantur, uiuit animans quidem, at minus feliciter uiuit. Ægrotatio, quæ Græcis νόσος uocatur, est primorum intemperies, quæ secundum naturam consistit. uel intemperies insistorum nobis humorum, uel naturalium facultatum præpeditio. uel uersura corporis ex eo, quod secundum naturam est, in id, quod præter naturam se habet. uel Ægrotatio, est primorum intemperies, in qua siccum, aut frigidum, aut calidum, aut humidum præualet. Ægrotationi opportunissimæ constitutiones corporum ex partibus constant temperatura contrarijs: quemadmodum optimæ corporum structuræ sunt quidem ex instrumentalium symmetria, simularium autem proba temperie constitutæ. Affectus, est quædam impeditio functionis alicuius naturalis, aliquarumue. Herophilei hoc modo, Affectus non semper eodem tempore soluitur: sed in breuiore quandoque: interim & longiore. Morbus, quod Græci νόσος appellat, est habitus ægrotinarius totius corporis, aut partis. Morborum alij acuti sunt: alij peracuti: alij diuturni: quidam continui: quidam intermittentes. Acuti sunt phrenitis, lethargus, pleuritis, peripneumonia, febres ardentes, continentes, tertianæ. Peracuti, synanche, cynanche, apoplexia, cholera, tetanus, & his similes. Diuturni, tabes, renum morbus, articulorum, aqua inter cutem, marcor, comitalis morbus, & similes. Continui, hemitritæa, typhodes, id est succensa, quæ sic uocatur febris, & ardens. Intermittentes uero, sunt tertiana, quotidiana, quartana, quintana, & quæ his similes sunt. Morborum præterea quidam acuti sunt & continui: ut ardentes febres, phrenitides, pleuritides. hi. n. acuti continuique sunt. Nonnulli neque acuti, neque continui: quales diuturni. Februm occasiones quatuor sunt: quas etiam tempora nominamus, irruptio, auctio, uigor, declinatio. Hippocrates nouem morborum differentias nouit, acutum, peracutum, malignum, diuturnum, medium, exitialem, euasorium, periculosum, periculo uacantem. Peracutus affectus, est facultate, & specie maior, difficiliorque acuto, qui in septem diebus ferme iudicatur. hunc etiam acutissimum appellare consueuit. Malignus morbus, magnus, grauisque est potestate, specie uero imbecillis, nec tempora certa habet iudicationis. Diuturnus morbus, est, qui in peius mutatur ac melius: in mensibus, annisque iudicatur, aut etiam cum homine interit. Medius morbus, qui inter diuturnum acutumque est, is quoque in melius ac deterius comitat: atque in sexaginta fere, aut octoginta diebus iudicatur. Exitialis est morbus, qui prorsus exitium affert, uel breui, uel in plurimo tempore. Euasorius est morbus is, qui nunquam fit perceptorius. Periculosus, qui ad perniciem & salutem æquale habet momentum: is anceps quoque dici potest. Periculo caret morbus, qui semper ad salutem, quantum in ipso est, uergit, idemque potestate cum euasorio est. Morbus imagine magnus, est, ut uulnus in carnosus locis multum spacij occupans: magnus autem reuel effectum, ut punctura in neruo, uel musculo, quæ parua uisui apparet, uel autem est magna. Infirmitas, quod Græci uocant ἀρρώστια, est morbus inueteratus cum multa imbecillitate. uel Infirmitas, est morbus imbecillis uires diminuens. Morbus, id est νόσος, permanens stabilisque circa corpora constitutio est, quæ uita participat. Herophilei affectum eum esse aiunt, qui facile soluitur, ac dimouetur, eiusque esse in humidis causam. Acutus affectus, est is, qui facile solutionem, uel internationem, quantum in ipso est, habet. Fusanei morbi, sunt qui omni tempore, & loco fiunt. Vernaculi, qui in quibusdam locis abundant. Vulgares, qui temporibus quibusdam plures eodem in loco corripiunt. Pestilentia, est morbus, qui in omnes, aut plurimos grassatur, ab aeris corruptione proueniens, quo fit, ut quam plurimi intereant. fertur & quedam huiusmodi finitio, Pestilentia, est communis affectus plurimorum, qui sub eodem tempore per urbes, nationesque acuta pericula, mortesque infert acutas. Finire & hoc modo possumus, Pestilentia, est uersura aeris, qua de re nec ordinem proprium seruent anni tempora, simulque plures ab eodem morbo intereant. Causa, est, quæ in corpore quidquam facit, expersque ipsa est corporis. Est autem alia procatartica, hoc est antegressa, uel externa, alia contenta, seu coniuncta, quædam antecedens. Antegressa, est, quæ confecto opere discessit: uelut canis cum momordit, & scorpium cum ictum inflixit, & inustio à sole, quæ febrem parit. Contenta, est, quæ, cum adest, præsentem seruat morbum, sublata tollit: ut calculus in uesica: in oculo aquula, pterygium, encanthis, aliaque id genus: quæ ponunt medici non in causarum duntaxat, sed in affectuum quoque ratione. Athenæus autem Attaleus sic inquit. Causa, est ea, quæ facit. Hæc autem est procatartica. aliter, Causæ sunt procatarticae, quæ ante totam operis consummationem existunt, quasque nulla antecedit. Antecedens causa, est, quæ ab antegressa prorsus aut partim constituit. non nulli sic, Antecedens causa, ea est, qua presente adest effectus, & aucta auget, & minuta minuit, & sublata

A sublata tollitur. Per se finiens est causa, quæ ipsa per se finem facit. Concausa, quæ cum alia pares obtinēs vires, opus molitur, quod facere sola per se ipsa nō poterat. Adiutrix causa, est, quæ opus quidem conficit, sed ægre: quapropter alijs consociatur, quo rem assequatur facilius, quam prompte obire seorsum nequit. Causæ sunt manifestæ, quæcūq; ex seipsis facientes agentesq; sensu deprehenduntur. aliqui hoc modo: Manifestæ sunt causæ, quæ & apparēt ipsæ, & opus cōsentaneæ sibi fieri ostendūt. Non manifestæ, sunt, quæ nō ex seipsis, sed per signa deprehendunt. quæadmodum Obscuræ, quæ neq; ex seipsis noscūtur, neq; ex alijs. Ad tempus obscuræ sunt, quæ detectæ ex se ipsæ apparent, & adiunctæ corporibus per signa cognoscuntur: aut hoc modo: Ad tempus obscuræ, sunt eæ, quæ absunt aliquādiu, ac rursus uenire sub sensum ualēt. Notatio, est p notā, uel per notas, seu signa perceptio. uel, Notatio, est signū, quod rem minus patentē quampiā declarat. Signū, est rei, quæ cōtingere debet, dignotio. nōnulli hoc pacto: Signū, est id, quo cognito aliud, quod ignotū nobis erat, deprehendit. Passionū significatio, notatio interiorū, exteriorumq;. Prænotio, eorū, quæ euenire debēt, scientia est. aut, Prænotio, est præscire, quæ sint corpori euentura. Prognosticū signū, est, ex quo noscīt futurū. Prædictio, est futuri præcognitio prænūciatioq;. Pathognomicū signū, est id, ex quo affectus dignoscitur. Cōkursus, quam Græci uocant syndromen, est congressus symptomatū. Symptoma, est accessoriū affectus. Auxiliaria signa, sunt ea, ex quibus curationis, quæ in ipsis obseruata est commonemur. Auxiliū, est, quod hominibus utilitatis gratia admouemus, ex quantitate, qualitate, ordine, atq; occasione cōpositū. Curatio, est ordo auxiliorum consequentiā habentium. uel, opportunitas, & tempus muneris præclare obeūdi. uel, temporis commoditas, in qua opem ferimus laborātibus. Indicatiuum signum, est, quod primas sibi uendicat in minus manifesti alicuius deprehensione idem bonum cōsequentis. Suggestiua memoriæ signū, est, ut aiūt empirici, res, quæ apparet, atq; ex antegressa obseruatione innotescit, utilis rei, quæ cognoscitur, ad memoriā reuocandæ. presentium presentia signa sunt pathognomica omnia. i. affectuū indicatiua. hæc enim cū fiunt, atq; adsunt, adsunt perinde & affectus: cū cessant, morbi quoq; soluantur. Præsentia præteritorum sunt signa, ut facti prius ulceris cicatrix. Præsentia futurorum, ut cadauerosa facies, mortis. Præterita autem sunt præteritorum signa, ut cum remissio à declinatione, deseruisse morbum significat. Præterita presentium, ut esse ab aspi de demorsum inter exitialia cēseri. sunt, qui hoc modo dicant: Præterita presentium, ut tenue intestinum uulneratū esse, perniciosi adnumerari. Præterita futurorum, ut cōfractio contritioq; ossis tosum contrahendum. ei nanq; oportet tosum obduci, dum ad pristinum statum redit. non nulli uero sic: Præterita futurorum, ut de capite dempto osse cicatricem sequuturam. Superuenientia presentium, ut in senibus fauciātum periclitari ex uulnere. Superuenientia uero succedentium, ut ex uulnere conuulsio. non enim uiuit præterea is, quē cōuulsio excepit. Febris, est innati caloris declinatio ad statum, qui præter naturam sit, pulsibus quoq; uehementioribus, ac crebrioribus redditis. uel, febris, est cordis arteriarumq; caliditas præter naturam, uitalem firmitatem lædens. aliqui & hoc modo:) Febris est redundantia caliditatis morbosæ sese efferentis cum pulsuum id genus mutatione ut frequentiores, uehementioresq; euadant. quidam autem sic: Febris, est naturalis spiritus intemperies ad calidiorem ac sicciorem statum degenerans. Febris continens, est ea, quæ nec noctu uec interdiu intermittit, (neq;) remissiones inferēs, neq; accessiones. Causus. i. ardor, est febris, quæ cum feruore multo sit, nullamq; requiem corpori præbet, linguam exiccat, denigrat, frigidæ desiderium affert. Pemphigodes febris, est, quæ per caloris intensiōnem pustulas in ore, quæ Græcis phlyctides dicuntur, generat. Lipyria febris, est ea, in qua extrema & superficies refrigerantur, uritur profundum, excretiones detinentur, aspera sitientibus lingua est, pulsus paruus atque obscurus: quasi calor se intro receperit. Fluxuosa, seu fluens est febris, quæ cum alui fluore, sæpe uero & uomitibus refrigerationem infert, subitamq; uirium deiectionem, cum siti, & insomnia, & pulsuum paruitate. Adstricta febris, contraria est fluxuosæ, excretiones non importat, pulsus magnos seruat, longiore spacio temporis corpus emaciat. Icteriodes, hoc est aurignosa febris, ea est, quæ similem galgulo aui, quam Græci icteron uocant, colorem molit, iecur insublime attollit, linguam afficcat, † cutem fœdā atq; horribilem reddit. Pestilens, est, quæ cū multa caliditate sitim inextinguibilem inuehit (bilis omnis generis uomitus) fœtidās alui excretiones ac uirulentas, ut paludium graueolentiæ sint, quæ excernūtur, similia: urinas multas, ac tetri odoris, pulsus paruos, obscurosq; inducit. Ignaua est febris, quæ cum capitis grauitate prouenit, uel sanguinis per nares eruptiones, uel excretionis suppressionem affert, aut corpus euenientibus necessario symptomatis ægre afficiendum comparat. Horrida, est, quæ habet admistā rigori caliditatem, pulsus adeo infirmos, ut ne ad tactum quidem usq; perueniant, sed intro recesserint. hac de tentis uenter tumefactus murmurat: lingua humida admodum est, quæ quiddam acescenti simile habet, quo ueluti saliuā circumluitur. Typus, est intensiōnum remissionumq; ordine succedēs redditio. uel hoc pacto: Typus est passionis tempus, cui & accessio & remissio ordinata cōtingit. Periodus, siue circuitus, est tempus in morbis, ex intensiōne et remissione consistēs. Quotidiana febris, est, quæ singulis diebus noctibusq; eadē hora ut plurimū innotescit. Tertiana, est, quæ uno die, uel nocte una affligit, sequēte intermittit, tertio repetit. Quartana, est, quæ uno die, uel una nocte

† Squallidam
ac luteam.

ete inclarescit, deinde biduum intermittit, aut noctes duas, quarto recrudescit. Hemitritæa, id est **E**
 semitertiana, est ea, quam nos ex ueteris magistri sententia, qui in primo Epidemiarum a cutam
 febrem eam dixit, haud prorsus quidem intermittere, ceterum diem unum aut noctem leuiorem
 inferre, alterum grauiorem affirmamus. qui autem à methodo sibi denominationem uendicant,
 paruam hemitritæam duabus constare intermissionibus putauerunt. Errabundæ febres uocant,
 quæ non præfinitæ, nec recto ordine, sed incerto statu proueniunt. Diastole, est elatio, ac uelut cō
 surrectio cordis, & arteriarum, & cerebri eiusq; membranarum, in longitudinem, latitudinē, pro
 funditatemq; sensibilis tactui. Systole, est contractio, atq; collapsus, qui sensum quidem nil mo
 uet, ceterum consentanea ratione, ac consequētia deprehenditur. Palpitatio, est elatio & submis
 sio cedentis corporis nec renitentis, quæ fit à spiritu, nec perpetuo durat, sed certis cietur tempori
 bus. alij sic, Palpitatio, est elatio & submissio musculosorum corporū, quæ à spiritu efficitur, nec
 semper fit, sed statis temporibus. Pulsus magnus, est, qui fit arteria multum sese in longitudinem
 & profunditatem ac latitudinem diducente. Paruus, est qui contra in minimum spacium longitu
 dinis, profunditatis, latitudinisq; assurgente arteria perficitur. Medius, est, q̄ his ambobus interia
 cet s̄m longitudinem ac circularem dimēsum, nimirū circumferentia quoq; digitis sese ad propor
 tionē offerente. Plenus pulsus, est is, qui sub tactum cadit distentus adeo, ut ipsa quidē crassior fa
 cta uideatur arteriæ tunica, maxime uero, quod inter eam clauditur, humidius uniuersum, ac cor
 pulentius deprehendatur. Inanis est pulsus, in quo tum ipsius amplexus arteriæ gracilis omnino,
 ampullosusq; est, infusa quoq; materia uix perceptibilis, atque exilis adeo, ut, si quis etiam digitos
 imprimat, inanis occurrat apprehensio. Durus, est, in quo neruosa, ut quispiam dixerit, arteria ui
 detur, ac rigida, & tensus, qui subest spiritus: quo fit, ut ictus uim quandam percipiendi habeat.
 Mollis duro contrarius, nempe qui arteriam remissam, mollemq; obtinet, ac spiritum qui inest,
 exolutū, ictumq; leniorem. Humidus, est, qui mollis, ut & contenta in eo substantia mitis sit, & hu
 miditate quadam tactui occurrat. Siccus pulsus, ita est, ut absumpta sit humiditas, & sicca atq; ae
 riæ exhalationi permitta. Vehemēs, est, qui & motum strenuū, & ictum ingerit uiolentū. Obscu
 rus, qui & uiribus est exoletis, & plagam infirmiolem adigit. Medius, est, qui proportionē quan
 dam inter utrunq; horum seruat. Celer, qui breuem cōcisamq; diastolen habet ac systolen. Pulsus
 ordo, est respectus quidam in magnitudine, uel uehementia, uel rhythmico, uel alio quopiam discri
 mine. Ordinis priuatio, est status instabilitas in pulsibus diuersa. alij hoc modo: Ordine carens est
 pulsus, qui in percussionibus quibusdam modo crebrior est, modo rarior. Æqualitas, est parilitas
 in pulsuū differentijs quibusdā. Inæqualitas, est imparilitas pulsuū in quibusdā differentijs, q̄ ipsis **G**
 pulsibus accidunt. alij uero ita, Inæqualis pulsus, est, in quo nunc uehementiores sūt ictus, nūc
 uix sentiuntur. rursus alij sic, Inæqualis est pulsus, qui arteriæ parte quadam altior sub tactū cadit,
 idq; perflata ea atq; ampliata, parte uero alia, quasi angustior eadem fiat, pro capedinis quātitate,
 uehementia inæqualis existit, tanq̄ parte quadam arteriæ uiolentiolem elationē faciat, quadā ue
 ro submissam, atq; infirmiolem. Herophilus Bacchius, Rhythmus, inquit, est motus in tempori
 bus certum obtinens ordinem. Zeno autē Herophilus dixit, Rhythmus, est ordo eorum tempo
 rum, in quibus amplificantur arteriæ, collatus ad ea, in quibus contrahuntur. rectius hoc modo fi
 nias, Rhythmus, partium temporis pportio est, quæ quendam ad pulsus inter ipsos habent respe
 ctum. Heterorhythmicum pulsum uocamus, qui alterius ætatis habet rhythmicum. Pararhythmicum
 uero eum, qui quadantenus ad ætatem, in qua consideratur prope accedit, habetq; rhythmicū, sed
 non eum, qui illi. i. ætatis illius peculiari cōueniat. Tremulus pulsus, est, qui ictū refert non æqua
 bilem, nec minime uacillantem, sed perinde quasi uibretur. Obliquatus, est, qui nō cōstituta in re
 ctum arteria præter situm editur. Myurus, est à situ: nempe quia, cum partes arteriæ superiores in
 arctum coguntur, inferiores contra, ibi quidem dilatescunt amplius, superius autem contrahun
 tur. Græci complures *μυροειδοντα* appellant, cum ab ictu maiore adacto sequētes per subtractionē **H**
 iugi decremento minores peraguntur. nominantur & hac ratione myuri, cum efficiuntur pulsus
 ex frequentibus rariore. uocatur & myurus, ubi à celeri in tardiolem demutatur. Dicrotus, seu
 bisferiens, est, cum recessio, quæ creditur arteriæ, non perfecta obitur, sed cunctatur, idq; pro sub
 ductionis, aut inhibiti spiritus quantitate, deinde repetitio perfecta debitæ fit contractionis. Ara
 chnoædes. i. araneæ speciem referens, siue aranealis, paruus est, ac breuis auræ agitato mouetur.
 Intermittens, est cum celebrandis contractionibus distentionibusq; pulsus unius arteria tempus
 omittit. quidam ita. Intermittens est pulsus, in quo distentionem non ad ictum unum duntaxat,
 sed ad duos, uel tres quoque arteria facit dimissam. Intercidēs, est, cum inter duos ictus, qui ordi
 ne proprio inferuntur, ictus medius intercurrit. Deficiens pulsus uocatur, in quo nō ad duos tan
 tum arteria, sed ad tres etiam, & ad plures ictus immobilis perseverat. alij hunc in modum, Defi
 ciens, est, qui à magnitudine incipiens ac uehementia, magis ac magis subinde minuitur. talisq;
 quoad ullam habet magnitudinem, Græcis myurizon nominatur, ubi autem sese submiserit, ac
 minor factus ad minus declinauerit, deficiens nuncupatur. Caprizans est pulsus, ubi arteria, cum
 se distendisse apparuerit, ne fuerit omnino distenta, ad alium percussum, prius, quàm contra ctio
 nis uisionem præbeat, præcipitantius transilijt, secunda autem fuit percussio facta uehementior.
 Recurrens